



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In  
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij  
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

**Peñafiel, Alonso**

**Lugduni, M.DC.LXXIIX.**

Sect. 2. Auctoritate sanctorum Patrum probatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

SUBSECTIO II.

*Auctoritate Sanctorum Patrum probatur*

<sup>124</sup> **E**T primo Augustinus egregie tuetur hanc veritatem 7. de ciuit. Dei cap. 30. ibi [ita deus administrat res quas condit, vt eas motu suo agere sinat:] & hinc recte colligit ad suauem eius prouidentiam pertinuisse causas indifferentibus concursum etiam indifferentem offerre, & ideo vltus est verbo sinat, quod hoc aperte declarat.

<sup>125</sup> Optimum item est August. testimonium lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. ibi: [si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc brevissimum tene, quæcumque ista causa est voluntatis si non potest ei resisti sine peccato ei ceditur, certe si hæc uniuersalis sententia vera est & voluntas Dei ita nos præuenit, vt non possimus ei resistere sine peccato atque adeo sine libertate ei cedimus, quod illud etiam confirmat lib. 6. Genes. ad litteram, cap. 15. ubi idem Augustinus ait voluntatem Dei esse ferum necessitatem, scilicet quoad agentia naturalia, congruentem autem quoad agentia libera, cui consonat quod scribit libro de Spiritu, & littera, c. 31. legimus inquit non est potestas nisi à Deo, non autem legimus non est voluntas nisi à Deo, & recte non scriptum est, quia verum non est idem, 5. de ciuitate cap. 9. & 10. ex qua sententia colligimus in primis si non omnis voluntas est à Deo aliquam voluntatem ab ipso non esse. Deinde inquirimus cur dicatur talem voluntatem non esse à Deo, an quia ad illam non conuenit: non equidem quia cum reale esse habeat, non potest illud habere nisi à Deo. Dicitur fortasse ideo illam voluntatem non esse à Deo quia non compulit, nec præcepit neque ad illam moraliter mouet, vt causa particularis, sed solum cōcursu indifferenti, vt patet ex iis, quæ late diximus in materia de peccatis, in quibus August. ponit exemplum.

<sup>126</sup> Sed imprimis licet hoc sit in se verum, non tamen ad mentem Aug. in dictis locis præsertim de ciuit. Dei, ubi explicare intendit contra Ciceronem præscientiam Dei non impedire liberam actionem voluntatis, quia licet Deus illa præscientia videat connexionem omnium causarum, tamen in actionibus liberis causa eorum est voluntas libera, quam item deus videt, & determinationē eius & ad hoc propositum ait Deum esse auctorem omnium potestatum, nimirum sola sua efficacia, & virtute: in hoc ergo sensu subdit non esse auctorem omnium voluntatum, scilicet sola sua efficacia determinando illas ex vi sui generalis concursus, & ita erit uniuersalis propositio, quæ explicatur in malis actibus, quia in eis notior est ratio- ne suæ deformatæ, propter quā non potest deus prædeterminare, non tamen quia in eis solis vera sit alio, qui reuera non satisfecit difficultati propositæ. Et deinde etiam si admittatur ille sensus, ex illo, à fortiori sequitur Deum voluntate sua non prædeterminare efficaciter nostras voluntates ad actiones malas, & hinc vltius inferunt non esse hoc necessarium ad generalem concursum primæ

<sup>127</sup> causæ.

Deinde, quoties Aug. de gratia efficaci loquitur, appellat eam vocationem, suasionem, illuminationem; hæc autem omnia nomina non conueniunt prædeterminationi, quæ est qualitas mortua, & cōsentitur, sed cognitioni & affectioni, qui sunt actus vitales, & percipiuntur, sicut vocatio exterior per-

*L. P. Tom. II.*

cipitur, & auditur ab eo, qui vocatur sine vlla vi & coactione necessitateque, videatur Aug. *tomo 4. lib. 1. ad Simplicianum*, q. 2. ubi late explicat quomodo hæc gratia sit vocatio, illuminatio, & delectatio, & tandem concludit voluntas ipsa nisi aliquid occurrat, quod delectet atque invitet animum moueri nullo modo potest; hoc autem vt occurrat non est in hominis potestate, videatur etiam eodē modo, *lib. 83. quæst. 9. 68. & 1. de Spiritu, & littera c. 34. & 35. tomo 3. item tomo 7. lib. 7. & 1. 2. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 27. & passim hanc gratiam, & hoc beneficium constituit in vocatione, quod si vocatio sine prædeterminatione non est efficax, potius debuisset præponderare beneficium prædeterminationis quam vocationis.*

Nec satisfacies si dicas prædeterminationem appellari aliquomodo vocationem, nam re vera vocatio de qua loquitur August. est vocatio, quæ sentitur & auditur, vt dicebam, ideo Aug. sæpe eam appellat doctrinam altam, secretam, & suauem, ita loquitur Cherubicus Doctor multis in locis præsertim libro de gratia Christi c. 13. de prædeterminatione Sanctorum c. 16. t. 7. & aliis in locis quæ breuitatis gratia prætermittimus, quis autē dicat prædeterminationem physicam esse doctrinam cū nō sit actus intellectus nec percipitur ab intellectu?

Præterea idem Augustinus efficaciam gratiæ in eo constituit quod vocetur homo vocatione congrua, hoc est eo modo, quo scit deus voluntati congruere vt consentiat, ita explicat late dicto libro ad Simplicianum q. 2. t. 4. & tandem concludit, his verbis: [cum ergo alius sic, alius autem sic moueatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moueat, alio modo dicta non moueat, quis audeat dicere Deo defuisse modum vocandi, quo etiam Elia ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque coniungeret in qua Iob iustificatus est:] quod si efficaciam, in prædeterminatione consisteret, non exigeretur alius & alius modus proponendi obiectum, nam quocumque modo proponeretur, sequeretur consensus si adesset prædeterminatio physica.

Tandem August. sæpe fatetur ex duobus hominibus æquali vocatione vocatis & pari tentatione pulsatis alterum stare, alterum cadere, & inquirere rationem lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 6. Respondet non apparere aliam, quam quod alter à castitate voluerit deficere alter noluerit, facilius diceret Aug. quia alter physice prædeterminetur ad castitatem, alter vero non, sed iam non essent æquales in actu secundo, vt supponuntur esse ab Augustino, videatur etiam dicta quæst. 2. ad Simplicianum, ubi sic ait: [quamuis multi uno modo vocati sunt, tamen quia non omnes eodem modo affecti sunt illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei.] Vi- des vocationem omnino æqualem poni ab Augustino in eo qui respondet, & in eo qui non respondet, quomodo, ergo Augustinus latissime de gratia disputans numquam prædeterminationis meminit, certe non aliam ob causam nisi quia iudicabat talem prædeterminationem libertatem funditus creaturæ labefactare.

Denique libro de dogmatibus Ecclesiasticis, cap. 21. manet itaque inquit ad querendam salutem arbitrij libertas, id est rationalis voluntas, sed ad- monente prius Deo, & inuitante ad salutem, vt vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est inspiratione Dei, & infra initium: ergo salutis nostræ Deo miserante habemus vt acquiescamus salutiferæ inspirationi nostræ potestatis est. Hic rursus non requiritur aliud quam

*KK 2 admo*

admonitio, & inuitatio, ut in nostra sit potestate consentire, nec aliud agnoscitur initium aut gratia operantis, quam vocatio qua inuitamur ad salutem.

132 Ad hoc respondent falsum esse id quod dicimus, quia Augustinus præter admonitionem & inuitationem ponit inspirationem per quam intelligit motionem efficaciter determinantem.

133 Sed contra, quia clarum est per inspirationem Augustinum nihil aliud intelligere, quam id quod antea vocauerat admonitionem, & inuitationem, quæ non solum continet cognitionem, sed etiam affectionem voluntatis, inspiratio enim est nomen generale continens cognitionem, & piam affectionem diuinitus immittam, sicut inuitatio, & vocatio, & admonitio & excitatio, hæc enim omnia æquivalent inter se.

134 Eandem sententiam clarissime confirmat Hieronimus *epistola*. 149. *ad Damasum*, ubi de filio prodigo ait, hominem ita esse liberum, ut viuatur non ex imperio Dei, sed ex obsequio suo, id est non ex necessitate, sed ex voluntate, ubi notandum est verbum illud, non ex imperio, non enim potest imperium sumi pro lege aut mandato, nam constat hominem ex imperio, & mandato viuente vivere etiam ex voluntate, & obsequio: ergo quando contraponit Hieronimus imperium, voluntati, & obsequio, significat per illud motionem quandam necessitatem & physicam prædeterminantem, eo modo quo dicimus manum moueri ex imperio voluntatis, quo necessitatur, & necessario cogitur manus ad motum, ut ita dicam. Hoc ergo sensu negat Hieronimus nos ita esse institutos & gubernatos à Deo, ut viuamus ex imperio Dei necessitante nos, quod idem Hieronimus explicuit clarissime illis verbis, id est non ex necessitate, sed ex voluntate.

135 Quibus consonant etiam verba Dini Dionisij *cap. 9. de celesti Hierarchy*, quæ sic se habent: [neque enim vita nobis data est cui vis illata sit aut imposita necessitas, neque liberi arbitrij gratia diuinitus indulta mortalibus prouidentia diuinæ luce & splendore obundatur,] ubi elegantissima vitatur metaphora ad defendenda data nostræ libertatis adhuc mota, & excitata per diuinum auxilium, qua mirabiliter docet per talia auxilia non destrui liberum usum, & indifferens exercitium voluntatis, ne inquit, intelligatis quando offendimur, & corroboramur splendore Diuinorum auxiliorum, per hanc lucem, & splendorem superiorem ita obundi, sopiri, & quasi labefactari indifferenciam libertatis, & lucem minorem potestatis indifferens voluntatis; ita ut ad præsentiam illius superioris lucis non possit fax ardentissima libertatis, & splendidissima radios suorum actuum indifferenciam diffundere: non enim ad hoc datur Diuinum auxilium ut obundet lucem libertatis, sed potius ut confortet illam ut quasi meliorata tale auxilio cooperetur, & sic cooperando libere se exerceat, ut possit tali exercitio libero se disponere ad vitam æternam; similia ferè verba habet *libro de diuinis nominibus*, *capite 4. ad finem*.

136 Sed clarius omnibus Damascenus, *lib. 2. de fide*, *capite 29.* quæ in potestate nostra inquit sita sunt non prouidentia, sed libero nostro arbitrio assignari debent; [ubi prouidentia nomen sumi necessario debet pro absoluta prædeterminatione Dei ad vnum determinante, & cogente, aut pro decreto ita prædefiniente ut tollat omnem indifferenciam ad vtrumlibet ex vi mediæ quibus utitur, & quæ applicat voluntati, ut talis prædeterminatio opere compleatur, & executioni mandetur,

& ideo subdit *cap. 30.* illud scire interest Deum omnia quidem præscire, sed non omnia prædefinire, præscit enim ea etiam quæ in nostra potestate, & arbitrio sita sunt; ut non item ea prædefinit necessario, neque enim vitium admitti vult, neque etiam virtuti vim afferat ac si dicat, si Deus prædefiniret necessitando per physicam prædeterminationem, tunc ad peccata tunc ad virtutes peccata Deo attribuerentur, & illa admitteret ac proinde non deberet punire illa, quia ad ea necessitate creaturas, & virtuti vim inferret, ac proinde non esset meritoria virtus; siquidem non esset libera, ratione cuius non daretur præmium virtuti.

Eandem veritatem significauerat *lib. 1. cap. 18.* quibus consentit Diuus Gregorius Nizenus *lib. 7. de Philosophia*, *cap. 1.* & *lib. 8. cap. 4.* & *ultimo*, & *lib. de natura hominis*, *cap. 39.* *offert ad 44.* Sic etiam Iustinus *9. 8. ad orro.* Chrysostomus, *Homilia 12. ad Hebræos*, in parte morali, omnia inquit Dei sunt, sed non ita ut nostrum lædatur arbitrium, ubi non excludit gratiam excitantem, & incontinentem in nobis opera supernaturalia: excludit ergo antecedentem prædeterminationem, quæ nostrum læderet arbitrium, similia sumi possunt ex eodem. *Homilia 17. in Ioannem*, & *42. ad populum*, & *Homilia 60. ad populum*, & Cyrillus optime *lib. 9. in Ioannem c. 10.* & Gregorius *lib. 20. moralium cap. 24.*

## SVB SECTIO VIII.

Authoritate D. Thomæ probatur nostra conclusio.

VENIO ad Angelicum Doctorem Diuum Thomam aduersariorum principem, & auctorem, quem maximopere miror, Thomistas non fateti esse ipsi omnino contrarium, cum nunquam hanc physicam prædeterminationem docerit læpissime, autem eius oppositum asserat, insinuauius breuiter aliqua eius loca, quibus ex diametro opponuntur hodie Thomistæ.

Nam imprimis sanctus Doctor *3. part. q. 69. art. 8.* *ad secundum*, sic ait, etiam si æqualem gratiam deo percipiant non æqualiter ea vtuntur, sed unus studiosus in ea proficit, alter per negligentiam gratia Dei deest; hæc Sanctus Thomas ait, cui videntur manifeste aduersari Thomistæ dum dicunt ex quibus habentibus æqualem gratiam, non melius operari vnum quam alium.

Secundo Sanctus Thomas, *1. 2. quest. 9. art. 6. ad 140* *3.* sic ait: Deus mouet voluntatem hominis sicut vniuersalis motor ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac vniuersali motione homo non potest aliquid velle, sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc quod est vere bonum, vel apparens bonum: sed interdum Deus mouet aliquos ad aliquid determinate volendum, sicut in his quos mouet per gratiam; hæc ille, in quibus aperte docet Deum non mouere tam determinate ad alia obiecta volenda, sicut ad opera pietatis, Thomistæ vero contra docent Deum æquali prædeterminatione physica prædeterminare ad omnem actum voluntatis humanæ siue boni sint, siue non sint.

Tertio Sanctus Thomas *in 2. dist. 25. q. 1. art. 1. 140 ad tertium*, docet ita Deum agere cum libero arbitrio, ut determinatio actionis, & finis in potestate liberi arbitrij constituitur, quod etiam docet *quest. 3. de potentia, art. 7. ad 13.*

Thomistæ vero dicunt Deum ita cognoscere de 140 terminationem operationis ex vi suæ præfinitionis, ut

# Quaest. ult. De concursu Dei cum creaturis. 445

ut non relinquat causae liberae indeterminatio-  
nem ad eandem actionem, verba sunt magistri  
Nauarrete *1. 2. controversiar. 23. §. 1.*

143 Quarto Sanctus Thomas in eodem articulo  
docet liberum arbitrium non reperiri in his, quo-  
rum actiones determinantur à quibusdam aliis  
causis prioribus; item ideo in Deo saluari liberum  
arbitrium & verum dominium sui actus, quia  
determinatio sui actus non est sibi ab alio, sed à  
seipso, idem docet *2. Physicorum lect. 15.* Vbi  
dicit necessitatem quae pendet, vel provenit ex  
causa antecedenti esse necessitatem absolute, Tho-  
mistae vero dicunt nostram voluntatem esse li-  
beram, licet determinatio sui actus proveniat ab  
aliqua causa priori, qualis est praedeterminatio  
physica à Deo.

144 Quinto S. Thomas docet gratiam licet inclinet  
subiectum in Deum, non tamen imponere ei ne-  
cessitatem, quia subiectum potest ea gratia non  
uti, aliqui necessitaret talis gratia; ita D. Thom.  
*1. part. q. 26. art. 3. ad 2.*

145 Thomistae vero è contra docent praedetermina-  
tionem non necessitare ad actum, licet non se ha-  
beat, sicut habitus quibus possumus uti & non  
uti: sed sit talis natura, ut semel posita non de-  
pendeat à voluntate quod operetur vel non ope-  
retur verba sunt Nauarrete *Tomo 2. controver-  
siarum contro. 24. §. 3.*

146 Sexto S. Thomas docet, ideo nobis esse libe-  
rum arbitrium, quia omnes qualitates subiacent  
arbitrio in quantum est in nobis; eas acquirere  
vel à nobis excludere, aliqui non maneret li-  
bertas, ita docet *1. part. quaest. 83. art. 1. ad ul-  
tim. & q. 6. de malo art. unico.*

147 Thomistae vero è contra docent, non sibi sub-  
jicere qualitatem auxilii, sed potius è contra au-  
xilium sibi subiacere voluntatem; ita Nauarrete  
passim dicto *tomo. 2. praesertim contro. 9. §. 2. con-  
troverfia 19. §. 1. & con. 2. §. 9.* & ceteri Thomi-  
stae, quibus commune axioma est voluntatem  
subdi auxilio, non vero auxilium subdi nostrae  
voluntati in operando.

148 Septimo, Divus Thomas affirmat causam illam  
quae facit voluntatem velle posse à voluntate im-  
pediri, quod si impediri non possit necessitate vo-  
luntatem, ita docet *q. 6. de malo art. unico ad 13.*

149 Thomistae vero dicunt praedeterminationem  
non posse impediri à voluntate humana quomi-  
nus effectum consequatur, ita Navarrete, ubi su-  
pra *contro. §. 6. col. 2. & Bafiez. 1. part. q. 23.  
art. 5. ad 7. argum. Tabelli &c.* Tamen docent  
hoc non opponi cum libertate arbitrij, quod  
utrumque est contra S. Thomam, qui etiam *quod  
libet. 1. art. 7. ad 2. arg.* docet aperte Deum ita mo-  
vere humanam mentem, ut possit huic motioni  
resistere, Bafiez autem è contra docet ita efficaci-  
tem moveri, ut ei resisti non possit sic *1. part.  
art. 17. & alibi saepe.*

150 Octavo docet S. Thom. concursum causae pri-  
mae specificari, & determinari per concursum  
causae secundae, ita docet *q. 1. de potentia 1. parte  
& 3. contra gentes, & cap. 66. art. 5.*

151 Thomistae vero dicunt concursum causae primae  
non modificari nec determinari per concursum  
causae secundae, quia haec esset maxima imperfectio  
in causa prima, ita Bafiez *1. part. q. 109. art. 8. &  
Navarrete contro. 16. conclus. 5. vbi appellat  
Chimericum oppositum.*

152 Nono S. Thom. docet effectus contingentes  
non posse cognosci certo in suis causis, sed solù  
conjecturaliter, ita docet *1. part. q. 14. art. 13.*

153 Thomistae vero inter causas nostrae operationis

liberae ponunt praedeterminationem physicam,  
in qua certo & infallibiliter cognoscitur effectus  
futura.

Denique S. Thom. *lect. 5. Super caput. 6. 154*  
*Joann. in illa verba:* omnis qui audiuit, &c.  
explicans gratiae efficaciam ponit illam in con-  
gruitate, & non in determinatione physica,  
modum inquit attrahendi est congruus, quia  
trahit reuelando, & docendo, cur non dixit  
praedeterminando, sane dubio quia abhorruit  
D. Thom. talem physicam praedeterminationem,  
quae omnia satis aperte patent ex iis quae ipse  
Angelicus Doctor *q. 22. de veritate, art. 5. & 6.*  
docens necessitatem ac determinationem ad unum  
repugnare voluntati ut voluntas & ut rationalis  
est, additque voluntatis propriam vim esse, ut  
dominetur suorum actuum, & se ipsam determi-  
net quo voluerit, sine eo quod ab alio determi-  
netur ad unum, quia si determinetur ab aliquo ex-  
trinseco ad unum non operabitur libere; sed ne-  
cessario, & sic *in corpore articuli sexti:* haec herba  
formalia ponit [ex hoc dicitur aliquid esse ne-  
cessarium, quod est immutabiliter determinatum  
ad unum.] Vnde hanc determinationem omnino  
reiecit à voluntate, asserens illam esse indeter-  
minatam triplici indeterminatione: prima est  
posse velle vel non velle; secunda posse velle hoc  
obiectum, vel illud obiectum; tertia posse vel-  
le bonum, vel malum, quarum ultima solum mo-  
do in via reperitur: ergo ex sententia D. Thomae  
nullo modo determinata est voluntas ab alio ex-  
trinseco per physicam praedeterminationem; si-  
quidem quando operatur voluntas omnimodo est  
indeterminata, videlicet indeterminata contra-  
dictionis & contrarietatis; omnis enim indeter-  
minatio his duabus concluditur: atqui si aliquo-  
modo esset determinata, verescerentur duae con-  
tradictiones, videlicet quod nullo modo esset de-  
terminata & aliquomodo esset determinata, quod  
non debet concedi: ergo nullo modo physice pra-  
determinatur à Deo; soluens autem D. Thomas  
quasi propheticae difficultates Thomistarum (qui-  
bus nunc moti sunt ad introducendam physicam  
praedeterminationem, videlicet quod potentia in-  
determinata non potest se ipsam determinare) docet  
dari duplicem indeterminationem, aliam in-  
digetitiae & necessitatis, aliam dominij & perfe-  
ctionis; secundum primam asserit D. Thomas  
non posse potentiam indeterminatam se determi-  
nare ad unum, nisi ante praedeterminetur ab alio,  
quia huiusmodi indeterminata potentia, quia ex  
indigetitiae est talis, indiget aliquo à quo reduca-  
tur ab indifferentia ad determinationem, ut vi-  
dere est in potentia v. sua respectu speciei im-  
pressae, & in materia prima respectu forma-  
rum.

Si autem aliqua potentia ait D. Thom. fue-  
rit indifferens, & indeterminata, ratione domi-  
nij, quod habet circa suas operationes, à seipsa  
potest determinari, quia est domina suarum  
operationum; vnde *articulo 5. in solutione 5. di-*  
cit ratione huius dominij posse se reducere ad de-  
terminatam operationem, ac proinde non indi-  
gere alio praedeterminante, ibi: [voluntas in  
quantum est rationis ad opposita se habet, hoc  
enim est considerare ipsam secundum hoc, quod  
est ei proprium, hoc est proprium voluntatis, in  
quantum voluntas quod sit domina suorum ac-  
uum.] & addit *art. 9. ad 1.* [voluntas potest  
seipsam immutare respectu aliquorum directe,  
cum sit, domina suorum actuum.] & sic Div.  
Thom. ponit discrimen inter potentiam loco-

motivam, & voluntatem, in hoc quod potentia loco motiva, non potest se determinare ad vnum, nisi ante determinetur à voluntate, quia est indeterminata indifferentia indigentiae & necessitatis seu imperfectio, cum voluntas non habeat talem determinationem, sed potius indeterminatorem dominij & perfectionis; verba est preesse D. Thom. sic se habent, *quest. 6. de malo, a medio corporis*: [hoc modo voluntas movet se ipsam, & omnes alias potentias, intelligo enim quia volo; sic ergo ad ostendendum, quod voluntas non ex necessitate movetur, oportet considerare motum voluntatis, & quantum ad exercitium actus, & quantum ad determinationem actus, qui est ex obiecto; quantum ergo ad exercitium actus primo quidem manifestum est quod voluntas movetur à se ipsa, sicut enim movet alias potentias, ita & se ipsam movet.] Quid clarius & evidentius, exemplum habemus in voluntate divina, quae licet indifferens & indeterminata sit, nihilominus potest se determinare quia talis indifferentia non est indigentiae & necessitatis, sed dominij & libertatis: si ergo voluntas non indifferentia necessitatis & indigentiae, sicut potentia manus, sed indifferentia libertatis & dominij gaudet, bene poterit se movere & determinare sine aliquo praedeterminante extrinseco, ac per consequens poterit determinare & movere reliquas potentias, quae quia ex imperfectioe indeterminatae sunt, indigent praevio praedeterminante, & ideo concludit D. Th. ] sicut enim movet alias potentias, & se ipsam movet.

256 Occludere autem volens aditum argumento cuidam nobis à Thomistis nunc obiecto, quod ex tunc consequutus est parens Thomistarum D. Th. sic ait: [nec propter hoc sequitur quod voluntas secundum idem sit in potentia, & in actu; sicut enim homo secundum intellectum in via inventionis movet se ipsum ad scientiam in quantum ex vno noto in actu venit in aliquid ignotum, quod erat solum in potentia notum, ita per hoc quod homo aliquid vult in actu, movet se ad volendum aliquid aliud in actu, sicut per hoc quod vult sanitatem movet se ad volendum fumigare potionem.] Ecce quomodo D. Thomas ita veritatem nostram tuetur, ut defendat illam à calumnijs adversariorum, quod idem confirmat toto sequenti contextu.

257 Praecipue vero demonstrat in eo articulo voluntatem nostram à Deo moveri tanquam à primo principio per instinctum movente ad primam volitionem sed non determinante ad vnum; sed relicta indifferentia voluntatis ut ipsa se moveat & reducat de potentia ad actum circa ea quae sunt ad finem, cum potestate agendi & non agendi, eligendi aut refutandi; notanda sunt illa verba solutionis; ad tertium [Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quae deficere non potest; sed propter naturam voluntatis motae, quae indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas.] Oculum divina motione non induci necessitatem; unde probatur necessitatem nullam esse in sensu composito cum divina motione, nam si divina motio induceret necessitatem illa foret in sensu composito cum inducente; hanc autem necessitatem opponit indifferentiae convertitque cum determinatione ad vnum; unde si ex aliqua motione divina sequitur determinatio ad vnum in voluntate sequetur in sententia D. Thom. necessitas opposita indifferentiae, ut patet ex illis verbis de potentia qu. 1. art. 3. [potest

enim agere & non agere sic, vel sic facere velle, vel non velle, voluntas in quantum voluntas est cum sit libera ad utrumlibet se habet, & si respectu alicuius voluntas sit determinata, hoc non est in quantum voluntas, sed ex inclinatione naturali quam habet ad finem ultimum quem non potest non velle.]

Ecce quomodo D. Thom. docet tunc esse liberam voluntatem quando habet indifferentiam ad utrumlibet, & tunc esse necessitatem & non esse liberam quando est determinata ad vnum, quapropter docens voluntatem esse liberam adhuc in sensu composito, cum motione divina docet ex vi talis motionis non determinari voluntatem ad vnum, sed potius ita moveri à Deo ut supposita tali motione possit voluntas operari & non operari & resistere tali motioni non obediendo illi: formalissima verba D. Th. *quodlibet 1. art. 7. ad 1. haec sunt*: [Deus movet omnia secundum modum eorum, & ideo divina motio à quibusdam participatur cum necessitate vel determinatione, à natura autem rationali cum libertate propter hoc quod virtus rationalis se habet ad opposita, & ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum quod tamen potest huic motioni resistere.] Vbi duo docet in sensu nimirum composito, cum tali modo movendi posse resistere voluntatem. Deinde hanc potestatem resistendi requirit ut servetur libera indifferentia ad opposita.

Sed ex vera physica praedeterminatione ita determinata manet voluntas, ut nec possit resistere tali motioni, nec relinquitur illi indifferentia ad utrumlibet: sed posita illa necessario voluntas operatur, quia non potest ex suppositione illius voluntas non operari id ad quod movetur: ergo illa physica praedeterminatio tollit indifferentiam libertatis, & inducit necessitatem in tali voluntate secundum verba, & mentem D. Thomae: ergo ex D. Thoma non est admittenda talis physica praedeterminatio, unde *quest. 24. de veritate* his verbis destruit illa: [non oportet quod mentes humanae sint determinatae ad effectus, licet respectu eorum efficaciam habeant, ratione cuius convenit eis libertas]; unde toto art. 1. & sequenti docet hanc libertatem hominis consistere in eo quod homo se ipsum moveat, non ex necessitate, aut determinatione sed cum potestate indifferenti ad agendum, & non agendum, ita ut ipse sibi principium sit, & causa sui motus, & non sit determinatio ad vnum, ratione dominij, quod habet circa suas actiones, quod his autem verbis docet *prima parte, quest. 19. art. 12. ad tertium* [creatura rationalis est domina sui actus, & ideo circa ipsam specialia quaedam signa divinae voluntatis assignantur, in quantum creaturam rationalem Deus ordinat ad essendum per se: sed aliae creaturae non agunt nisi motum ex operatione divina]: ergo ex dominio voluntatis supra suum actum recte colligitur, quod agit aliquid ad quod non movetur ex operatione divina, alioquin foret sicut aliae creaturae, quae non agunt nisi motae ex operatione divina, & ideo articulo. 1. concludit: [ad opposita se habet in quantum velle potest hoc esse vel non esse, sicut & nos non precando possumus velle sedere & non velle sedere]: sed clarius 1. 2. art. 3. in corpore hoc docet ibi: [ad hoc quod agens determinatum effectum producat, necesse est quod determinetur ad aliquid certum, quod habet rationem finis. Hae autem determinatio sicut in rationali natura per rationem fit appetitui, qui dicitur voluntas; ita in aliis sit

sic per inclinationem naturalem, quæ dicitur appetitus naturalis; tamen considerandum est quod aliquid sua actione vel motum tendit in finem dupliciter. Vno modo, sicut se ipsum ad finem movens, ut homo: illa ergo quæ rationem habent se ipsa movent in finem, quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium: ergo motio, & determinatio ad determinatum effectum est à libero arbitrio.

159 Præterea 1. 2. quæst. 9. art. 3. ad primum, docet quod voluntas per hoc quod vult finem, movet se ad volendum ea, quæ sunt ad finem, & insequentis art. 4. expresse definit, quod indiget motione exterioris moventis scilicet, Dei, solum modo ad primam volitionem finis; cæterum ad sequentes volitiones non indiget, sed ipsa seipsam movet, & alias non esset libera.

160 In eadem quæstione 9. art. 6. fine, ait: [Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale obiectum voluntatis, quod est bonum; & sine hac universalis motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem se determinat ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparet bonum]: ergo Dei non est determinare hominem ad volendum, quod est vere bonum vel apparet bonum: rursus velle illud quod est vere bonum, est elicere volitionem honestam, & velle illud, quod est apparet bonum, est elicere volitionem turpem: ergo Deus non determinat, sed homo per rationem se determinat ad elicendam volitionem honestam, vel volitionem turpem, quia si Deus determinaret non relinqueret indifferentem, ac proinde necessitaret voluntatem, & tolleret libertatem illius, ut docet ipse Angelicus doctor eadem 1. 2. quæst. 10. art. 4. corpore ibi: [quia voluntas est principium non determinatum ad unum, sed indifferentem se habens ad multa; sic Deus eam movet, quod non ad unum determinat, & ideo non ex necessitate movet, sed manet eius motus contingens & non necessarius, nisi in his ad quæ naturaliter movetur.] Ecce quomodo Divus Thomas docet Deum ita movere voluntatem ad unum, ut relinquat eam indifferentem ad utrumlibet, & tribuit rationem, quia si determinaret ad unum necessitaret talem voluntatem & sic tolleret libertatem illius.

161 Sed per vos quando Deus movet auxilio efficaci, quia tale auxilium est physica prædeterminatio determinat ad unum, ita ut in sensu composito motionis cum voluntate non possit voluntas non operari id ad quod movetur: ergo vestra physica prædeterminatio necessitat voluntatem, ac per consequens tollit libertatem illius, quod est contra Divum Thomam; unde ipse tertio contra Gentes. cap. 73. ratione 1. dicit [alia agentia secundum suam naturam esse determinata ad unum; sed voluntatis virtutem non esse limitatam, & determinatam ad unum, sed habere in potestate hunc effectum vel illum propter quod est contingens ad utrumlibet.] Unde infert ad Dei providentiam pertinere conservare, & tueri hanc indifferentiam voluntatis, etiam si efficaciter moveat ad quodcumque opus, etiam supernaturale, ut mereatur per illud; unde cap. 112. ratione 2. ait: [quod dominium sui actus habet liberum est in agendo: liber enim est, qui sui causa est. Quod autem quidam necessitat ab alio agitur, & determinatur ad operandum servituri subiectum est; omnis autem alia creatura naturaliter servituri subiecta est, sola vero natura intellectualis libera est.]

Vnde sic argumentor, creaturæ rationales non

aguntur ab alio nisi à prima causa, Deo nimirum primo movente: ergo ab hoc ut sic non determinantur ad unum creaturæ rationales ne ex necessitate quadam moveantur à Deo (quia Divus Thomas pro synonymis reputat determinare ad unum, & necessitare ad unum), & auferatur ab eis libertas, sed ex vi physica prædeterminationis ita moventur ut determinentur ad unum, (quia à determinatione determinatum aliquid dicitur sicut ab actioni actum, & ab albedine album): ergo creatura quæ sic movetur necessitatur, & privatur libertate, quod est contra fidem nostram; unde talis physica prædeterminatio omnino rejicienda est, & ponenda loco illius motio quadam, cum qua ita cooperetur voluntas, ut possit non operari, ac proinde resistere tali motioni conservando propriam indifferentiam libertatis, quam habet voluntas creata ut aperte decernit Concilium Tridentinum sessione de iustificatione. Canone 4. ibi: [Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti quoad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere mereque passivum se habere anathema sit.]

In quo Canone loquitur Concilium de auxilio efficaci, & non solum de sufficienti, quia cum illo auxilio decernit voluntatem efficere, & cooperari, sed cum auxilio solum sufficienti, & non efficaci non efficit, & cooperatur voluntas licet possit efficere & cooperari (nam auxilium efficax in hoc distinguitur à sufficienti, quod auxilium efficax ita moveat voluntatem, ut non solum sit potens, & sufficiens ad operandum, sed etiam operetur, & efficiat, quia ab efficiendo efficax dicitur, sufficiens autem solum licet sufficiat non ita movet, ut efficiat voluntas cum illo effectum cooperando actualiter tali auxilio moventi): ergo tale auxilium de quo loquitur Concilium non est solum sufficiens, sed etiam efficax: maior pater ex illis verbis, si quis dixerit, usque ad illa atque vocanti: minor ex terminis patet, quam ut à me profertur ab adversariis admittitur.

Deinde loquitur Concilium de auxilio supernaturali, ut patet ex illis verbis [quoad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac præparet], quia per solum auxilium supernaturale potest voluntas se disponere, ac præparare ad obtinendam iustificationis gratiam, ut ipsum Concilium decernit, & contra Pelagium à multis Conciliis decretum est, & definitum, loquendo itaque de auxilio supernaturali efficaci decernit sancta Synodus Tridentina ita movere voluntatem, ut non determinet illam ad cooperandum, & assentiendum adhuc in sensu composito, ut patet ex illis verbis Deo excitanti atque vocanti, sed potius ita indifferentem relinquendo illam sic motam, & excitatam, ut possit dissentire cui assentit, & non cooperari cui cooperatur, ut patet ex illis verbis, neque posse dissentire si velit, quod ante docuerat ipsum Concilium decernens posse voluntatem motam, & excitatam à Deo efficaciter abijcere talem vocationem, & motionem de quo supra late, sed per vos vestra physica prædeterminatio ita movet ac determinat voluntatem ad assentiendum & cooperandum, ut in sensu composito talis motionis non possit voluntas dissentire & abijcere talem prædeterminationem, ac per consequens non possit non cooperari, & assentire: ergo vestra physica prædeterminatio ex diametro opponitur Concilio Tridentino, & Divo Thomæ, cuius pene verba formalia transcripsit Concilium Tridentinum.

Tridentinum, ad tuendam nostram libertatem, & dominium quo gaudemus circa nostras operationes etiam quando actu mouemur à Deo efficaciter, ut per operationem ad quam mouemur mereamur, alias non mereremur si ita moueremur, ut prædeterminaremur ad unum, & sic Divus Thomas in 2. senten. dist. 25. quest. 1. art. 1. ad 3. inquit: [in libero arbitrio hoc modo agit Deus, ut virtutem agendi ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat, sed tamen ita mouetur à Deo, ut determinatio actionis, & finis in potestate liberi arbitrij constituantur; unde remanet sibi dominium sui actus.]

Quod dominium docuerat Angelicus Doctor consistere in hoc, ut possit voluntas velle, & non velle resistere, & non resistere motioni; verba eius quest. 9. de potentia, art. 1. ad 3. hæc sunt: [solæ substantiæ rationales habent dominium sui actus, itaque in ipsis est agere, & non agere;] & quodlibet 1. art. 7. ad 2. hæc verba profert: [et ideo diuina motio à quibusdam participatur cum necessitate, à natura autem rationali cum libertate propter hoc, quod virtualis se habet ad opposita, & ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere.] Quid darius poterat loqui Divus Thomas ut directe huic opinioni potius antithomitarum quam Thomistarum se opponeret, neque locus ille quo se protegunt adversarij ad tuendam suam physicam prædeterminationem, sumptus ex commentatio ad Dionysium de divinis nominibus cap. 5. sect. 3. alicuius momenti est verbum Divi Thomæ hæc sunt: [et huiusmodi ratione sacra Scriptura vocat præfinitiones, seu prædeterminationes: quæ quidem prædeterminationes, seu voluntates sunt distinctivæ entium, & effectivæ ipsorum: quia & huiusmodi rationes super substantialis Dei esse prædeterminavit omnia, quæ produxit.] neque ille ex prima parte quest. 25. art. 1. ad 1. aliquid illis favet ubi sic ait Angelicus Doctor [fieri non posse ut Deus aliqua faciat quæ non præsciunt & præordinaverit se facturum, quia ipsum facere subiaceret præscientiæ, & præordinationi Dei.]

163 Hæc inquam nullius momenti sunt, ut faveant adversariis, primo quia ut bene nota. II. Ruit, quoties Divus Thomas nomina prædefinitionis, prædeterminationis, præordinationis, & prædeterminationis extendit ad liberos actus voluntatis humanæ non includit, sed potius excludit tale causalitatis genus, quæ rebus imponat antecedentem illationis necessitatem, sed includit formalem rationem præscientiæ atque decreti, ex qua deriuetur necessitas consequens seu infallibilitas præsupponens actualem libertatis usum, saltem conditionaliter præcognitum, alioqui sanctum Thomam refutare frequenter necessitatem antecedentem constat ex locis pro nobis adductis ad probandam nostram conditionem,

164 Sed contrariæ sententiæ Doctore hanc solutionem redargunt primo, dicentes, huiusmodi prædeterminationem, quæ à nobis conceditur non esse absolute prædeterminationem, seu prædefinitionem, sed esse conditionalem, & valde imperfectam. Respondemus, negando antecedens: quamvis enim præsupponatur præscientia liberæ actionis, ut conditionaliter futuræ; nihilominus ea scientia præsupposita, prædefinitur actio, ut sit absolute, & non conditionaliter futura, nullaque conditio apponitur huiusmodi prædefinitioni, sed præsupponitur prius iam cognitua. Quemadmodum inter homines, qui certo scit sui-

mentum sibi esse vendendum à vectoribus, si tot argenteos in pretium offerat absolutum, & non conditionatum decretum habere potest emendi prædictum frumentum.

Redargunt secundo, quia hæc quæ nobis conceditur non est prædeterminatio, seu prædefinitio, sed potius post determinatio, & post definitio. Respondeo id non esse verum, quia non solum tempore, sed etiam causalitate prædefinitio diuina præcedit absolutam existentiam actus liberi, licet non præcedat conditionalem illius præcognitionem, de quo late egit. tractatum de prædestinatione.

Vnde ad lucum primum D. Thomæ, Respondetur 166 constare non solum auctoris, sed etiam expositoris scopum esse, quod Deus non solum producat res secundum communem rationem entis, sed etiam secundum propriam uniuscuiusque rationem atque naturam, ideoque rerum omnium secundum peculiarias sibi naturas atque rationes, certa & determinata exemplaria sunt in mente diuina, iuxta quæ producit ad extra propriam uniuscuiusque rei quidditatem atque rationem, quando vult. Sed utrum actiones liberas in particulari producere velit dependenter, à præcognitione nostræ libertatis usu, saltem conditionaliter futuro, & utrum hæc voluntas solam consequentem necessitatem, vel potius antecedentem asserat, nec Divus Dionysius nec sanctus Thomas ibi tractat, neque ad rem erat tractare ut constabit legenti contextum.

Miror etiam in prædicto testimonio scribi 167 [prædeterminationes] quod nomen non invenio in correctioribus codicibus, quos legerem: neque probatur ex testimonio scripturæ, quod protinus subiicit sanctus Thomas ad probandas appellationes, quæ præmisit videlicet Rom. 8. [quos prædestinavit hos & vocavit;] unde tamen recte probatur prædestinationis appellatio.

Neque obstat prædeterminandi verbum, quod 168 postea subiicitur à Divo Thomæ. Nam illud refertur ad rationes rerum, siue exemplaria, quæ supersubstantialis Dei esse prædeterminavit. Nec dubium quin naturaliter, & absque ulla prorsus libertate fuerit hæc prædeterminatio, sicut & tota scientia simplicis intelligentiæ.

Similiter respondetur ad locum adductum ex 169 prima parte, ubi sanctus Thomas solummodo asserit Deum præsciuisse atque præordinasse suam ipsius Dei operationem. Sed quo discrimine præsciatur, atque præordinet suam operationem concurrenti cum causa naturali, aut cum causa libera; & utrum hanc præordinet dependenter à præscientia libere applicationis nostræ, saltem conditionaliter futuræ, Divus Thomas ibi: neque attingit neque argumentum, quod soluebat postulabat attingi. Illud enim satis erat, Deum præsciuisse, præordinasse, ac voluisse rem quamlibet facere eomodo quo de facto eam facit. Unde effectus à solo Deo vel per naturales, & necessarias causas producendos Deus præordinavit, & voluit facere determinando ad illos per antecedentem necessitatem, sed relinquendo arbitrium in manu bonis illi sui dataque potestate, ut seipsam determinet.

Alium locum nobis opponunt sumptum ex 170 prima parte quest. 10. art. 1. ad 3. ibi: [hoc ipsum quod causa secunda determinatur ad determinatos effectus, est illis à Deo.] Respondetur facile,

à Deo tribuitur causis naturalibus, quod determinentur ad determinatos effectus, quatenus illis confert potentias necessario determinatas ad vnum & omnia, quæ requiruntur ad operationem. Sed longe aliter causis liberis Deus tribuit, ut seipsas determinent ad determinatos effectus tribuendo potentias intellectus, & voluntatis, & totam collectionem motuorum, causarum, & circumstantiarum, quæ ad libere operandum requirantur: minime vero conferendo, sed potius subtrahendo physicam prædeterminationem, ut patet ex loco supra adducto ex quodlibet 1. art. 7. ad 2. ibi: Deus, usque ad illa verba, resistere quæ solutio amplius confirmatur ex alia obiectione, quam nobis opponunt, videlicet à Diuo Thoma, etiam operationes liberas in Deum, sicut in causam reduci; ex hac enim obiectione, ut dixi, confirmatur solutio dicta, quia ipse Angelicus Doctor suam mentem circa hoc negotium manifestavit aperte in 2. dist. 37. q. 1. art. 1. ad 5. argumentum, quod probare intendebat non esse reducendas ad Deum operationes agentium, quæ per se agunt, quoniam habent dominium suarum operationum, cui Sanctus Thomas respondet eis verbis: operatio illius agentis, qui per se agit oportet quod in primum agens, sicut in causam reducatur. Quamvis enim huiusmodi entia per se agant, quia per propriam naturam, & proprium iudicium actus suos determinant, non tamen à se habent quod agant, sed à primo agente, quod eis esse, & posse & agere confert. Nota simul verificari hæc duo, & alterum alteri non repugnare, videlicet, agentia libera determinant suos actus per proprium iudicium; & nihilominus Deus illis non solum esse, & posse, sed etiam ipsum agere confert.

# SVBSECTIO XI.

*Scripturae sacrae testimonio refellitur physica prædeterminatio.*

171 PRIMUS locus est Ecclesiast. 15. ibi: Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adjecit mandata, & præcepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quos volueris porrigere manum tuam. Ante hominem vita, & mors bonum, & malum, quod placuerit ei dabitur illi. Quod testimonium merito Divus Augustinus lib. de gratia, & libero arbitrio, cap. 2. allegans ait: [Ecce apertissime videmus expresse liberum humanam voluntatis arbitrium.]. In quo scriptura sacra liquiddissime, & manifestissime viuis coloribus depingit humanam libertatis indifferentiam solutam quocumque vinculo prædeterminationis ad vnum. Vnde Cyrillus Alexandrinus ad confirmandam libertatis indifferentiam solutam omni determinatione, & S. Thomas de malo quaest. 6. quaest. 1. in sed contra ex hoc loco infert hominem habere liberam electionem, ita ut eius voluntas se habeat ad opposita, & non ex determinatione moveatur ad vnum, & sit Dominus sui actus, ita ut in ipso sit agere, & non agere omnia, sunt verba S. Thomæ, quod ex ipso contextu verborum patet manifeste, & primum illa, reliquit illum in manu consilij sui, clare denotant indifferentiam necessitate atque determinatione solutam secundum illa verba Eccl. 3. 3. [quasi lutum figuli in manu ipsius plasmare illud, & disponere:

J. P. Tom. II.

omnes viæ eius secundum dispositionem eius sic homo in manu illius, qui se fecit.] Psalmo 30. [in manibus tuis sortes meæ.] Gabaonitæ sua iam fraude reiecta, Iosue potestati & arbitrio se totos committunt illis verbis: [in manu tua sumus, quod bonum tibi, & rectum videtur sic nobis;] & clarius constat conferendo illa duo testimonia, quæ idem prorsus significant Ioann. 13. [omnia dedit ei Pater in manus;] & Matthæi 28. [data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.]

Huius argumenti robor, & efficacia conspicua 172 cernitur Iob. cap. 1. ubi Dominus ad Satan: [Ecce (inquit) universa, quæ habet in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum] & cap. 2. [Ecce in manu tua est, verum tamen animam illius serva.] Quæ verba explicans Sanctus Philastrius ait Daemonis libertati permittit omnia bona Iob.

Sed notanda sunt exceptiones ut firment regulam in contrarium. Prius enim solummodo res 173 externæ, & non ipsa Iobi persona; postea vero ipsius persona, & non anima relicta sunt in manu Satanæ, ex quibus sic argumentor. Satan multo magis appetebat potestatem in animam, quam in corpus, & multo magis in corpus, quam in divitias. Insuper idem inimicus retinebat adhuc liberum, & radicale arbitrium quidditativæ sui Dominum. Cæterum, quia impediatur à Deo ne auderet efficereque aliquid mali nisi quando, & quo usque, & quibus in rebus Deus permitteret, ideo non erant in manu Satan omnia quæ habebat Iob, neque corpus Iob quousque Deus permettendo rupit vincula, quibus detinebatur: ergo esse in manu alicuius significat non solum radicalem potestatem voluntatis, & propensionem spontaneam, sed etiam solutam esse vinculis necessitatis, & determinationis ad vnum, & proinde positum omnibus requisitis ad operandum esse indifferentem ad utrumlibet, quas condiciones significavit Ecclesiasticus quando dixit: [reliquit illum in manu consilij sui.] Vnde Auctor Hypog. apud Augustinum lib. 3. propt. initium, exponens prædictum testimonium ait: [quid est autem reliquit illum in manu consilij sui: nisi dimisit illum in possibilitate liberi arbitrij sui: in manu enim possibilitas intelligitur, quapropter Anastasius Episcopus Nicænus quaest. 1. in scripturam, quaest. 1. 6. prope medium ait: [Est in nostra potestate, & libero nostro arbitrio salus nostra, & interitus, ut scriptum est; Deus ab initio fecit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui; & ante hominem vita, & mors, quod ei visum fuerit dabitur ei.] Præpositio enim in maxime significat potestatem indifferentem solutam ab omni determinatione ut operetur, & non operetur, veluti quando dicimus quod in nobis est quantum in te est, &c. quam significationem probat non solum vulgaris sermo, sed maxime philosophorum, sanctorum Patrum, imo etiam scriptura sacra loquendi modus ut Iob cap. 6. non est auxilium mihi in me, Rom. 1. quod in me promptum est, &c. Damascenus lib. 1. de fide cap. 2. 6. definit: in nobis sunt ea, quorum sumus liberam adepti potestatem, & facere, & non facere. Quod idem constat ex Aristotele lib. 1. Ethicor. cap. 3. & aliis multis locis, & S. Thom. lib. 2. sent. distinct. 38. q. 1. unica, articulo 4. fin. & Nemesio de natura hominis, cap. 3. 2. & 40. aliisque Patribus.

Itaque in hoc loco scriptura sacra docet per illa 174 verba hominem habere libertatem, & indifferentiam ad utrumlibet, eo quod habeat potestatem expeditam ab omni determinatione ad vnum, &

L L I dominium

dominium, ita solum ab omni determinante ad vnum, ut posito quocumque requisito ad operandum possit agere, sed vestra physica prædeterminatio, ita determinat voluntatem ad vnum, ut non sit in potestate eius facere, & non facere, sed potius supposita tali determinatione necessario debet operari id ad quod determinatur: ergo vestra physica prædeterminatio tollit libertatem humanam: ergo abijcienda omnino est.

175 Confirmatur ex illis verbis: [si volueris mandata servare conservabunt te, appositum tibi ignem, & aquam, ad quod volueris porrigere manum tuam,] quæ verba satis manifeste demonstrant habere hominem potestatem ita indifferentem ad volendum, & nolendum, ut nulla ratione determinetur ad vnum, ut docuit Augustinus de Gratia, & libero arbitrio, capite 15. fin. explicans hunc locum his verbis: [Ad hoc valet quod scriptum est, si volueris conservabis mandata ut homo, qui voluerit, & non potuerit nondum se plene velle cognoscat, oret, ut habeat tantam voluntatem quantum sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adiuvatur ut faciat, quod videtur: Tunc enim velle est velle cum possumus, & tunc vtile est posse cum volumus; nam quid prodest si quod non possumus volumus, aut si quod possumus nolumus?] ubi plane supponit contingere, ut de facto nolumus id ipsum quod possumus velle.

176 Et toto sequenti capite 16. ostendit ea ratione nos posse mandata servare si volumus, quia si volumus perfecte iam absolute, & immediate possumus; si autem imperfecte volumus per hanc voluntatem, licet imperfectam virtute fidei, possumus orando impetrare dei opem, qua perfecte velimus, & possumus, & conservemus mandata; unde semper in nostra potestate est, ut quando cum divina gratia servamus mandata, possumus ex nostra libertate non servare illa, ex quo hoc argumentum fumo.

177 Adiecta conditio voluntatis suspendit assertionem, denotaturque illius euentum esse contingentem, & quod rem conferat in arbitrium alterius tale; quapropter supponit liberum esse solutam omni determinatione ad vnam partem, & in sua potestate habentem actualiter ponere vel non ponere, conditionem propriam voluntatis; alioqui si prædeterminationis præveniente vinculo ligatur voluntas, ita ut actualiter non velle sit illi impossibile, supposita tali prædeterminatione, iam ipsam velle non est ponendum quasi conditio suspensa contingens, & indifferens ad utramque partem, sed tanquam firmiter, & immobiliter adhærens vni parti declaratur; nam in conditione appositæ contineri prædictam vim suspendendi agnoscunt non solum Dialectici, & Iurisperiti atque Theologi, sed etiam indocti atque vulgares, præcipue quia servare, verbum est quod semper confertur in liberam voluntatem quoties ad mandata refertur indicans potestatem quandam indeterminatam, & indifferentem, ut Matthæi 19. [si vis ad vitam ingredi serva mandata,] denotat igitur potestatem servandi, & non servandi, Ioan. 14. si diligitis me, mandata mea servate, & iterum, si quis diligit me sermonem meum servabit, & Pater meus diligit eum; ac rursus, si præcepta mea servaveritis manebitis in dilectione mea.

178 Quod sapientissime colligit S. Thomas, prima parte, questione 22. articulo secundo, ad quartum ex prædicto loco Ecclesiast. 15. ibi: [hominibus non præfigi à Deo virtutem operativam determinatam ad vnum, sed potius seipsos agere, & movere & eligere,] & prima secunda questione 10.

articulo quarto, in corpore, ex eodem loco inferri, & ait: [quia voluntas est principium actuum non determinatum ad vnum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet quod non ad vnum determinat, sed remanet motus eius contingens, & non necessarius.] Nota remanere contingentem, & non determinatam ad vnum, etiam ex suppositione quod Deus illam sic moveat, & ideo ait Ecclesiasticus appositum tibi, &c. ad quod volueris porrigere manum tuam, quibus datur libera optio nulla determinatione determinata ad vnum, neque enim deus determinatione imposita hominis manum arripens extendit ad aquam, neque ad ignem, sed concedit homini ut ipse suam manum extendat, & porrigat vel ad ignem si voluerit vel ad aquam, quod est ad bonum vel ad malum, ut quod ei placuerit datur illi; unde Chrysostomus, in sermone secundo, de fato, seu de providentia, sic argumentatur: [Deus dicit posui ante te vitam, & mortem, ad quod volueris extende manum tuam; Demon dicit non est in te quod extendas manum tuam; sed determinatione quadam, & vi id agis; unde necessitate, agis videntur tibi hæc fide digniora:] Ex quibus manifestum sequitur ideo Deum fecisse liberum hominem quia ei dedit indifferentiam ad volendum, & nolendum sine vlla determinatione; unde si deus ita determinatam redderet potentiam ad vnum, vel ita creavisset determinatam voluntatem, non haberet in sua potestate velle, vel non velle, non dedisset homini libertatem, sed supposita vestra physica prædeterminatione voluntas non manet indifferens ad volendum, & nolendum; ergo supposita illa non datur libertas in homine.

Quæ omnia corroborantur ex illis verbis: Ioan. 1. 179

[dedit eis potestatem filios dei fieri:] ubi indifferentia omnino expedita ad utrumlibet denotatur, quoniam apud Philosophos quoties dicitur hominem habere potestatem ut aliquid faciat, eo ipso significatur etiam habere potestatem ut non faciat; unde Arist. lib. 1. Ethic. c. 5. initio, ait: nostra igitur in potestate virtutes, & identidem vitia collocantur. Quibus enim in rebus nostra in potestate situm est agere in iis, & non agere, & in quibus non agere, in iis est & agere.

Quod S. Th. ibi: lect. 11. initio, exponit his verbis: 180 si operari est in nostra potestate, oportet etiam quod non operari sit in nostra potestate: si enim non operari non esset in potestate nostra; impossibile esset nos non operari: ergo necesse esse nos operari; & sic operari non esset ex nobis, sed ex necessitate. Et similiter dicit, quod in quibus rebus non operari est in potestate nostra, per consequens etiam operari sit in potestate nostra. Si enim operari non esset in potestate nostra, impossibile esset nos operari; & sic nos operari non esset ex nobis, sed ex necessitate; sic ergo dicendum est, quod in quibuslibet rebus affirmatio est in nobis & negatio, & de converso, videtur autem argumentum amplius ex eodem Arist. S. Th. 9. Metaph. text. 10. quia quoties dicitur hominem habere potestatem ut aliquid faciat, intelligitur habere penes se omnia prorsus, quæ ad agendum requiruntur, & nullo impedimento retineri nisi forte, quod ipse libere admittat, quod idem colligitur ex omnibus doctoribus, quoniam apud Sanctos Patres, & omnes Theologos eadem est significatio potestatis, quam nuper ex Aristotele retulimus; unde Augustinus de spiritu, & littera, capite vigesimo primo, à principio ex professo, disputans utrum fides sit in nostra potestate, ut questionem soluat, 181

in medio capitis, sic loquitur unde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit, si non vult non facit: exiit autem ergo Augustinus in potestate credendum includi utriusque partis potestatem indifferentem, siue ut credat, siue ut non credat; unde subdit [sed cum potestas datur non necessitas imponitur, ut cum David Saulis occidendi potestatem accepisset, maluit parere quam ferire, vide nunc utrum quisque credat si voluerit, aut non credat si voluerit?] Quibus consonant alia Scripturæ loca, in quibus potestas operandi eo ipso est etiam potestas non operandi, vel operandi contrarium; itaque potestas omnimodum indifferentiam continet omninoque expeditam ab omni determinatione, ut Ioann. 10. [Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.] Rom. 9. [non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam:] & prima Corinth. 7. [non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis] Ecce quomodo. Diuus Paulus contraponit necessitatem potestati, quia sicut necessitas determinat ad vnum, ita è contra potestas tribuit indifferentiam ad vtrumlibet expeditam ab omni determinatione ad vnum, & Marci. 13. dicitur dedit seruis suis potestatem cuiusque operis.

81 Quapropter Augustinus retrahit. l. 1. cap. 22. ad finem, ait: in potestate hominis est, mutare in melius voluntatem: Sed ea potestas nulla est, nisi à Deo detur, de quo dictum est: Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Cum enim hoc sit in potestate, quod cum volumus, facimus, nihil tam in potestate, quam ipsa voluntas est: Sed præparatur voluntas à Domino. Eo modo ergo dat potestatem. His consonat, quod in lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 2. sine, ait: quid est, quod iste libero arbitrio vult bene viuendi retribuere potestatem, cum hæc potestas non detur, nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum: dicente Euangelio: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (& paulo inferius cap. 3. in medio, ait:) datur ergo potestas, ut filij Dei fiant, qui credunt in eum cum hoc ipsum datur, ut credant in eum: quæ potestas, nisi detur à Deo, nulla esse potest ex libero arbitrio. Recte igitur Augustinus copulauit necessitatem gratiæ, potestatemque indifferentem arbitrij.

82 Peculiaris autem vis, & clarior est in illis verbis Iob. 34. Neque enim vltra in hominis potestate est, ut veniat ad Deum in iudicium. Quod propterea dicitur quia non poterit, non venire, sed necessario veniet. Unde potestas, ut veniat, ponitur pro potestate, ut non veniat; quia eadem potestas est veniendi & non veniendi. Id quod Hieronymus ibi solita breuitate notauit dicens: Id est, si habuerit potestatem, ut veniat, potes habere, ut non veniat. Gregorius autem lib. 25. moral. c. 6. ait: quia ergo nunc in potestate est, internum mentis nostræ contra nos subire iudicium; recognoscendo accusamus nos ipsos: neque enim vltra in hominis potestate est, &c. In eundem locum Iobi Nicetas ait: Hoc quidem tempore bonum, & malum in nostra est potestate, verum in eo, quod sequitur auro, eius rei erit nobis erepta facultas. Neque enim rei gerendæ optionem daturus est amplius. Eadem prorsus verba Olimpiodorus habet apud Comitolium in catena Græca.

83 Idem probatur quarto, quia potestas, ut fiant

filij Dei, per Christum Dominum conceditur non tantum his hominibus, qui de facto filij Dei, sed etiam iis hominibus, de quibus in eodem capite dicitur: [In propria venit, & sui eum non receperunt:] ita ergo potestatem habebant utriusque partis, ut quando poterant fieri filij Dei ex auxilio Spiritus sancti possent ex voluntate propria resistendo tali auxilio fieri filij Demonum se se in plagas peccatorum induendo.

84 Ergo ex hoc loco manifeste colligitur liberum hominis arbitrium, ut integrum perseueret debere ita esse in differens ad vtrumlibet, ut nullo modo sit determinatum ad vnum, sed vstra physica prædeterminatio ita mouet, ut tollat indifferentiam ad vtrumlibet determinando voluntatem ad vnum: ergo ita mouet ut tollat libertatem; nam id, quod tollit definitionem alicuius tollit essentiam definiti, sed physica prædeterminatio tollit indifferentiam, quæ est definitio libertatis: ergo tollit ipsam libertatem.

## SECTIO VLTIMA.

Rationibus probatur conclusio.

85 PRIMA sit, quia tali concursu physice prædeterminante destruitur libertas: ergo non est concedendus talis concursus Dei in causam secundam antecedens, sic probatur: universaliter de omni vfu libero, quia respectu illius concursus prædeterminantis non datur libertas: atqui post concursum, & ex vi illius, & in ordine ad operationem, quæ sequitur ad talem concursum tollitur indifferentia ad vtrumlibet: ergo tollitur, & destruitur libertas posito illo concursu Dei ad actionem causæ secundæ: maior sic probatur, quia respectu illius concursus solus se habet voluntas mere passivæ cum non operetur illum nec actiue se habeat respectu illius, ac proinde solum recipit voluntas physicam illā prædeterminationem à Deo fluentem; ideoque dicunt aduersarij Deum solum concurrere pro illo priori in causam secundam, ut in posteriori natura operetur causa secunda in finem: que in suum effectum; unde actiuitas causæ secundæ post illum concursum incipit, quia sine illo concursu nullo modo potest operari, quia illo completur, excitatur, mouetur, & determinatur, quæ omnia sunt necessaria simpliciter ut causa secunda operetur, quia nihil operatur antequam completur ad operandum, v. g. potentia visiva non potest operari antequam completur per speciem impressam, neque potest operari pro illo priori, pro quo completur per talem speciem, sed potius incipit tota operatio potentie visivæ post productionem speciei impressæ in ipsa, ac proinde species impressa non est effectus potentie visivæ efficienter, sed potius mere passivæ se habet respectu speciei impressæ; alias aliquid operaretur antequam posset operari, quod est absurdum.

86 Sed entitas illa, quæ mere passivæ se habet respectu alicuius, & non actiue non potest esse causa libera respectu illius, ut in notabili satis clare demonstrauimus: ergo respectu illius concursus non datur libertas in causa secunda viget quia causa secunda non potest habere dominium ut ponatur, & non ponatur talis prædeterminatio, & sic non est in manu eius, ut producat, & fiat illa; unde independentem à voluntatem humana ponitur physica prædeterminatio